

/ Serenissimae Dominae meae. Audita promotione Regis Bohe-  
miae Fratris Celsitudinum vestrarum in Romanum Imperatorem, exul-  
tavit tota Civitas Romana, tota Italia, et totus catholicus Orbis,  
nec minus exultavit coelestis Hierusalem cum Angelis, et Sanctis  
5 suis. Soli expaverunt, et tabescentes doluerunt daemones inferna-  
les, et eorum discipuli haeretici, et mali Christiani. Ego vero,  
ut peculiaris servus Augustissimae Domus Austriacae, multis de  
causis laetatus sum, et gratias egi Domino Deo nostro; primum,  
quia nullus dignior Imperio inveniebatur; deinde, quia nullus fi-  
10 dei catholicae defensor ardentior hoc tempore apparebat; tertio,  
quia nostrae Societatis, quam haeretici maximo odio prosequuntur,  
nullus patronus amicier inveniri poterat; denique, quia omnes as-  
tutiae, quas haeretici, et haeticorum fautores excogitaverant, ut  
promotionem p<sup>i</sup>ssimi Ferdinandi impedirent, in caput ipsorum, Deo  
15 servum et amicum suum fidelem protegente, reciderunt. Itaque gra-  
tulator Celsitudinibus Vestris Serenissimis hanc novam felicitatem;  
et precor Deum, ut diuturnam, et tranquilliam esse velit; meque  
sanctis pedibus vestris ex animo commendo. Romae die 20 Septem-  
bris 1619.